

subjicit, ergo (infert ille) ratione confessionis factae manet semper hoc judicium suae potestati reservatum. Huic contradicit *Antoine* l. c., quod talis mutatio fieri debeat in alia confessione, quia est actus judicialis, et usus clavum, qui nonnisi in Sacramento exercetur. Haec sententia praxitutiori inservit.

Quid? si idem Confessarius non amplius recordetur factae confessionis, et status poenitentis? R. Si nequidem confuse recordetur status poenitentis, repetenda est prior confessio ob rationes n. praec. in R. 2. allatas.

633. Q. V. Quando poenitens teneatur implere poenitentiam? R. 1. Si Confessarius nullum tempus determinaverit, tenetur poenitens eam implere, dum commode potest, ita ut peccet graviter, si illam ex gravi negligentia nimis diu, v. gr. per annum differat, tum quia haec esset gravis in re gravi negligentia, tum quia sic nimia fieret disjunctio partium Sacramenti: differre autem per breve tempus, v. gr. per aliquot septimanas, est veniale, saltem si non sit medicinalis; neque necessario implenda est ante communionem. Neque peccaret mortaliter, qui post octiduum iterum confiteretur, quin prius persolvisset injunctam poenitentiam.

R. 2. Si Confessarius poenitentiam injunxit determinato tempore persolvendam, mortale esset, eam sine causa notabiliter, v. g. ad plures septimanas, differre; secus, si tantum ad aliquot dies. *Ratio primi* est, quia circumstantia temporis in pracepto includitur.

634. Praeterea hic *observa*: I. Qui poenitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea adhuc implere, quamprimum commode potest, tum quia dilatio solutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem onere illud solvendi, tum quia intentio Confessarii est, ut satisfactio fiat absolute; temporis vero determinatio tantum fit ad non differendam solutionem.

635. II. Non est necessarium ex pracepto aut institutione Christi, ut satisfactio ante absolutionem semper impleatur. Vide propositiones 16. 17. et 18. ab *Alex. VIII.* damnatas. In his falso asseritur, quod per modernam consuetudinem administrandi sacramentum poenitentiae ordo sit inversus, et inde ortus abusus. *Primo*, abusus non est, quod poenitentes absolvantur, antequam persolverint poenitentiam, quia consuetudo tunc dicitur abusus, quando adversatur legi naturae, aut positivae: atqui moderna consuetudo absolvendi nec adversatur naturae sacramenti poenitentiae instituti per modum judicii, nec institutioni Christi, nec sacris Canonibus, contrarietas enim assignari nequit; imo per *Clement. Dudum* de sepult. Sacerdos jubetur, ut *confessiones audiat, poenitentias imponat, et absolvat*: et *Sozomenus* L. 7. c. 17. refert, Poenitentiarum statim consuevit poenitentes absolvere post impositas poenas. Textus, qui videntur contrarii, intelligendi sunt de absolutione Canonica, qua poenitens Ecclesiae reconciliabitur. *Secundo*, nec est abusus, quod a venialibus passim absolvantur poenitentes. Tridentinum enim sess. 14. c. 5. expresse docet: *Venialia recte et utiliter, citraque omnem praeumptionem in confessione dicuntur*: ergo haec consuetudo non habetur pro abuso ab Ecclesia. *Viva* in cit. propos. Potest tamen Confessarius hic et nunc obligare poenitentem ad implendam vel totam poenitentiam, vel partem ante absolutionem, quando scilicet prudenter censetur id expedire, vel quando Sacerdos alias nequit judicare de dispositione poenitentis, quia nec Christus, nec Ecclesia id prohibuere. *Suar.*, *de Lugo* hic disp. 14. sect. 10.

636. III. Probabilius sacramentalis poenitentia impleri debet cum intentione satisfaciendi. *Neque dicas*: Praecepto audiendi Sacrum die festo satisfacit, licet non habeas intentionem satisfaciendi praecepto: ergo a pari. R. 1. Sicut requiritur intentio audiendi Missam, ita requiritur saltem posi-

tiva voluntas satisfaciendi. R. 2. Disp. est, quia poenitentia est pars Sacramenti: ergo debet moraliter uniri cum Sacramento, quod aliter fieri non posse videtur, nisi per intentionem. Praeceptum autem Ecclesiasticum tantum exigit, ut ponatur opus, v. g. audiatur Missa ex quacumque demum pia intentione. Ita *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1286. cum *Vasq.*, *Dicast.*, et aliis contra *Sanchez*, et *Lugo*, quorum sententia contraria servit scrupulosis et anxiis, qui perpetuo dubitant, an sub ratione satisfactionis impleverint poenitentiam: eadem inservit rudibus, qui etsi expresse non habeant intentionem satisfaciendi, plerumque tamen actu tenui cogitant, ideo persolvere hoc vel illud opus, quia Confessarius injunxit.

637. IV. Qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, satisfacit quidem obligationi, ita ut non teneatur postea illam repeteret; fructum tamen sive effectum satisfactionis non consequitur, quamdiu in statu peccati perseverat. *Ratio primi* est, quia talis faciendo id, quod jussus est facere, substantiam operis injuncti implet, modus autem operandi hic non cadit sub praeceptum, nisi Confessarius expresse illum imperaverit. *Ratio secundi* est, quia Deus non acceptat nostram satisfactionem, nisi simus in gratia constituti. Caeterum non est sufficiens fundamentum dicendi, quod talis peccet graviter persolvendo poenitentiam in statu peccati mortalis, tum quia eam non ponit nomine Christi, tum quia adhuc integrat Sacramentum, etsi non debeat poenas. Est tamen irreverentia venialis, ut ait *Laym.* cum *S. Thom.*, *Suar.* *Henrig.* et aliis l. c. n. 15.; num. praecedente recte monet, quod peccatum veniale commissum, dum persolvitur poenitentia, v. g. si quis negligentiter et distracte preces injunctas oret, non impedit fructum, quem operatur satisfactio, quia is non provenit ex virtute operantis, sed ex opere operato Sacramenti.

638. Si ad extremum quaeras, an poenitenti post absolutionem adhuc confitenti peccatum prius inculpabiliter omissum injungenda sit nova poenitentia? R. *Regulariter* est injungenda; quia cum sit novum judicium et Sacramentum, illud etiam integrandum est. *P. Sporer.* in *Theol. Sacram.* P. 3. c. 4. n. 544. resolvit, Confessarium, si poenitens tantum veniale omiserit, illudque adhuc confiteatur, posse dare novam absolutionem sine nova poenitentia, tacite extendendo primam injunctam ad hoc novum veniale; secus si inciderit peccatum mortale prius omissum, tunc enim deberet vel novam poenitentiam injungere, vel expresse priorem hue extendere dicens: Persolve pro hoc et prius expositis peccatis poenitentiam antea injunctam eo diligentius etc.

639. Quid? si poenitentia videatur poenitenti justo gravior, vel irrationabilis? R. Licebit poenitenti, difficultatem Confessario proponere humiliter, qua cognita rigorem mitigabit prudentia Confessarii; si vero eam mitigare nolit, poterit poenitens non accepta absolutione discedere, et alteri confiteri. *Suar.* hic D. 38. sect. 7. n. 4., ubi addit, quod Confessarius in tali casu non debeat esse difficilis, sed poenitentiam accommodare fragilitati poenitentis.

ARTICULUS III. De satisfactione per indulgentias et Jubilaeum.

§. I. Praenotanda.

640. I. Praeter satisfactionem sacramentalem homo etiam potest in hac vita satisfacere pro poena temporali residua ex peccatis suis remissis ex opere operantis per bona opera, ita ut haec non tantum sint conditio, ad cuius praeventionem nobis applicentur merita Christi, sed vera causa meritoria, ut constat ex damnata *Bajana* 77. *Satisfactiones laboriosae justifica-*

torum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam. Patet etiam ex *Trid.* sess. 14. de Poenit. can. 13. quem vide n. 608. Ad satisfaciendum hoc modo requiritur ex parte operantis status gratiae: quamvis enim peccator aliquid possit impetrare de congruo, v. g. auxilium ad poenitendum, non tamen potest satisfacere in statu peccati, nam *Trid.* sess. 14. c. 8. vim satisfaciendi per propria opera fundat in unione cum Christo, *in quo*, ait, *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus*: ergo sicut non meremur de condigno, nisi in gratia uniti cum Christo, ita nec satisfacimus. Hanc sententiam *Suarez* post *Trid.* vocat certam in 3. p. d. 37. sect. 2. num. 3. *Ex parte operis* vero requiritur, ut sit voluntarium, moraliter bonum, et supernaturale vel in se, vel saltem ex aliqua intentione supernaturali. Aliqui cum *Henrig.* insuper requirunt, ut procedat ex formalis intentione satisfaciendi: alii cum *Suar.* l. c. sect. 3. n. 5. dicunt satis esse, ut procedat ex quacumque voluntate placandi Deo, vel suae salutis aeternae; tum quia Scriptura nullibi requirit hanc formalem intentionem, tum quia nullus est, qui hoc modo non intendat vel formaliter, vel virtualiter consequi apud Deum omnem spiritualem effectum suis operibus proportionatum. *Ibid.* sect. 6. n. 5. et 8. ait, quod opus bonum eatenus proprie quidem et stricte sit satisfactorum, quatenus aliquo modo est poenale, cum Scriptura de satisfactoriis operibus loquens communiter poenalia proponat, ut *Joelis* 2. *in jejunio et fletu.* Matth. 11. *in cilicio et cinere etc.* *Ibid.* tamen n. 8. affirmit, omne opus bonum et meritorium simul esse satisfactorium, eoquod omne opus bonum quatenus homini laboriosum est, aliquo modo sit poenale, quamvis non tam stricte, sicut pure poenale: imo et actus interni, v. g. contritionis etc. multum valent ad satisfactionem.

641. II. Potest etiam homo justus in hac vita in alterum justum hominem transferre suas satisfactiones, queis per modum solutionis satisfiat pro poena temporali, ut fuse probat *Suar.* in 3. p. q. 48. sect. 2. cum *S. Thom.* Hoc genus satisfactionis vocatur suffragium. De his satisfactionibus hic non agimus, sed de Indulgentiis, et Jubilaeo.

642. III. *Indulgencia est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus jam dimissis concessa a Praelato Ecclesiae per applicationem Thesauri Ecclesiastici.* Ita *Gobat* in *Quin.* T. 4. c. 2. n. 13. cum *Toledo, Lug.* et *Valentia*; addunt alii, praestitis certis operibus a concedente praescriptis. 1. Dicitur *remissio poenae*: hic enim est effectus indulgentiae, non remissio culpe. 2. *Temporalis*: poena enim aeterna remittitur cum culpa. Hic intelligitur illa poena temporalis, quae vel ex sententia Dei in purgatorio, vel ex praescripto antiquorum canonum in hac vita luenda esset. 3. *Pro peccatis actualibus*: quia poena pro originali debita remittitur per baptismum. 4. A *Praelato Ecclesiae*: ordinariam potestatem concedendi indulgentias vi jurisdictionis supremae habet Papa: Episcopi tamen juxta c. *cum ex eo.* L. 5. Decret. tit. 38. de Poenit. et remiss. concedere possunt indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiae, et 40. dierum in anniversario dedicationis, et quoties occasio juste exigit. Vide *Gobat* in *Quin.* T. 4. c. 6. n. 5.. 5. Per *applicationem Thesauri Ecclesiae*: qui primario constat ex meritis et satisfactionibus infinitis Christi Domini, secundario ex meritis Deiparae Virginis et Sanctorum, ut ait *Clemens VI.* in extrav. *Unigenitus* de poenit. et remiss.; quae merita asservantur in acceptatione divina, et in utilitatem Ecclesiae membrorum erogari possunt. De indulgentiis vide in *Trid.* sess. 25. speciale Decretum. Porro haec remissio per indulgentias fit subditis Ecclesiae scil. vivis fidelibus per modum absolutionis, et solutionis, quatenus Pontifex vi illius Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram etc.* remittit poenam peccatis remissis adhuc debitam (ecce absolutionem), et simul de the-

sauro Ecclesiae exhibet, quantum sufficit pro illa poena (en solutionem); non subditis autem, v. g. defunctis per modum solutionis ob defectum jurisdictionis in eos: quatenus Pontifex ex thesauro Ecclesiae Deo offert aequivalens pro poena, quam debet defunctus, unde effectus pro defunctis pendet ab acceptatione divina.

Exempla indulgentiarum cum modernis univoca ex primis duodecim saeculis eruditus collegit *Eusebius Amort.*

643. IV. Indulgencia 1. dividitur in totalem sive plenariam, et in partiale. *Totalis* sive plenaria de se in poenitente rite disposito est remissiva totius poenae post absolutionem sacramentalem peccatis residuae. *Partialis* est, quae de se in poenitente rite disposito est remissiva tantum partis poenarum residuarum peccatis jam remissis. Ita *Amort* sub fin. disp. 7. de indulg. Indulgencia partialis subdividitur in indulgentiam dierum, annorum, et in carenam sive quadragenam. Hinc (ut ait *Laym.* L. 5. t. 7. c. 3.) cum indulgentia unius anni, vel septennis, vel una carena conceditur, sensus est, dari indulgentiam remissivam tantae poenae peccatis adhuc debitae, quanta deleretur per poenitentiam unius anni, vel septem annorum juxta canones olim injunctam, aut per 40. dierum jejunium in pane et aqua secundum canones poenitentiales injungi solitum. Per *Carenam* sive *carentiam* ibid. intelligit *Laym.* jejunium in solo pane et aqua per 40. dies; similiter per *Quadragenam* remissionem poenitentiae, quae per jejunium quadragesimale subeunda erat. *Reginaldus* L. 7. n. 141. cum *Nav.* facit quidem differentiam inter indulgentiam plenam, pleniorem et plenissimam, ita ut per *plenam* dicat remitti poenam peccatis omnibus confessis debitam, per *pleniorem* remitti poenam peccatis tum confessis, tum mortalibus forte oblitis debitam, per *plenissimam* vero remitti omnem poenam tam venialibus, quam mortalibus confessis et oblitis debitam. Hanc differentiam desumit ab extrav. *Antiquorum* de Poenit. et Remiss. A. R. D. *Amort.* l. c. q. 9. ait, hos terminos significacionem ab acceptione arbitraria auctorum accipere: *plenam* ab auctoribus vocari quamcumque indulgentiam plenariam; *pleniorem*, quae habeat annexam potestatem absolvendi a casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi a juramentis, absolvendi a censuris, concordandi ac componendi circa restitutionem bonorum incertorum etc.; *plenissimam* denique, cui annexitur ea potestas commutandi, disponendi, componendi etc. sine clausulis limitantibus. *Gobat* vero l. c. n. 273. ait, modernum stylum Curiae Romanae plurimorum jam annorum usu roboratum docere, quod per plenariam id ipsum designetur, quod *Navarrus* intellexit per plenissimam.

644. V. Indulgencia iterum alia dicitur *localis*, quae conceditur omnibus certum locum pium, v. g. Ecclesiam, devote frequentantibus. Alia *realis*, quae alligatur rei mobili, v. g. rosario, vel numismati, ita ut indulgentia gaudeant personae rem illam devote gestantes. Alia denique est *personalis*, quae conceditur determinatae personae, vel certo generi personarum, v. g. Confratribus alicujus Sodalitatis, quin illa sit affixa certo loco vel rei. Hic potest addi *mixta* ex supra dictis. Ita *Amort.* l. c. q. 6. Quoad durationem alia etiam dicitur *perpetua*, quae conceditur sine præfixione termini, ideoque non indiget renovatione: alia *temporalis*, quae conceditur ad certum tempus, quo elapsa renovanda est, et iterum petenda a concedente. *Quotidiana* vocatur, quam adeentes certum locum pium quotidie, aut semel per annum quovis anni die diligendo lucrari possunt, qualis concedi solet locis votivis, ubi peregrinantes confluunt.

645. VI. *Jubilaeum* est indulgentia universalis et plenaria, quam summus Pontifex concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa pia opera

peragendi, simulque Confessariis speciale potestatem tribuit, vere poenitentes et confessos a gravissimis peccatis, censuris, poenisque Ecclesiasticis absolvendi, ac pleraque vota commutandi.

Jubilacum ordinarium olim concedebatur singulis annis centesimis, dein quinquagesimis, nunc autem singulis vigesimalis quintis. Sic magnum illud jubilaeum a Bonif. VIII. primo celebratum est Romae anno 1300.; postea anno 1350. a Clem. VI. ad annum quinquagesimum: denique anno 1475. ad vigesimum quintum a Sixto IV. revocatum est. Hoc solet promulgari Romae die Ascensionis Domini, et incipit in vigilia Nativitatis Christi a primis vesperis ad sequentes vespertas in eadem vigilia inclusive. Durante anno sancto suspensae sunt per orbem omnes indulgentiae plenariae antea concessae, etiam directe concessae pro animabus defunctorum; possunt tamen indulgentiae alias pro vivis concessae durante anno sancto applicari defunctis, quamvis in concessione non fuisse expressa haec facultas, ut declaravit Benedictus XIV. in declaratione super Constitutione sua: *Cum Nos nuper*. Aliae etiam indulgentiae habentes annexa similia privilegia dicuntur concessae *instar*, sive *ad modum Jubilaei*. *Jubilaeum extraordinarium* est, quod a summo Pontifice extra vigesimum quintum annum alicujus saeculi ex justa causa conceditur, quale concessum est anno 1735. et 1741. Indulgentia *Cruciatae* vocatur, quae conceditur contribuentibus aut cooperantibus ad bellum sacrum contra infideles. Talis Bulla *Cruciatae*, teste *Amort.* l. c. q. 8. in Hispania est perpetua, quia ibi perpetuo contra Turcas, Africanos et Mauros, invasores navium et urbium christianarum pugnandum est. His praenotatis breviter agemus de necessariis ad lucrandas indulgentias.

S. II. Principia generalia de indulgentiis.

646. *Principium I.* Indulgentiae concedi debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo. Dixi 1. a *legitimo* dispensatore: cuiusmodi sunt summus Pontifex, qui potestatem universalem a Christo in Petro accepit: item *Episcopi*, quorum tamen facultas non est tam generalis, ut dictum n. 642. Praeter Episcopos etiam S. R. E. Cardinales gaudent potestate concedendi indulgentias 100. dierum. Vide *Gobat* l. c. C. 6. et 7. Alii Episcopis inferiores, v. g. Praelati Religiosorum Ordinum tantum ex commissione Pontificis et Episcoporum possunt concedere indulgentias. *Laym.* l. c.

Dixi 2. *justis de causis*: ad hoc enim, ut licite et valide concedatur indulgentia, requiritur pia et rationabilis causa. Hanc sententiam *Laym.* vocat cum *Suar.* et aliis communem contra *Palud.* *Ratio* est, quia Dominus non habet ratas profusiones thesauri a dispensatoribus prodigiis factas: Pontifices autem et *Episcopi* sunt dispensatores mysteriorum Dei, ut Apostoli fuerunt 1. *Cor.* 4. 1.; ergo. *Confirm.* ex Clem. VI. extrav. *Unigenitus*, ubi expresse innuitur, thesaurum militantis Ecclesiae *proprius et rationabilibus causis vere poenitentibus et confessis esse applicandum*. Idem *Confirm.* ex epist. Leonis X. ad Cajetanum.

Dixi 3. *signo externo*: quia sine hoc non indicatur voluntas Superioris, tanquam actus jurisdictionis.

„Q. 1. Quis effectus indulgentiarum?

„R. Inter sententias a *Tanner* to 4. et *Lud. Habert.* to 5. et aliis nonnullis recensitas, quasi indulgentiae vel tantum tollant poenas in foro *Sacramentali*, vel tantum in foro *Ecclesiae*, vel immediate in foro *Dei* decretas, dico: Indulgentiae remittunt poenas immediate et directe indulgendas in foro *Ecclesiae*, et saltem mediate et indirecte etiam in foro

„*Dei*, ut adeo sensus horum verborum: *Indulgentia* 100. vel 1000. annorum dicat: Lucranti remittitur a Deo tantum poenae, quantum delivisset per poenitentiam 100. vel 1000. annorum talem, qualis olim imponebatur in Ecclesia primaeva; quantum autem purgatoriis respondeat tali poenitentiae, Deus novit: *Ratio* (praeter S. Th., *Alensem*, *Suarez*, *hodie communem*) est: poena olim canonica, seu in *foro Ecclesiae* tollerbat poenam in *foro Dei*: ergo cum poenis canonicas substituae sint indulgentiae; siquidem illis datae sunt olim indulgentiae, qui in poenitentia canonica constituti inserviebant Martyribus, et ab his obtinebant libellos supplices et suppletorios ad Ecclesiam etc. a. p. tum per communem olim fidelium persuasionem, tum per *Pacianum* in paraen.: In quantum poenae vestrae non pepercritis, in tantum vobis Deus parcerit; tum ex Tertulliano, qui jam tunc ab Ecclesia alienus carpit Martyres, quod lapsis misericordiam indulgeant, qua ipsi indigerent: *Sufficiat Martyri propria purgassee delicta; ingrati vel superbii est in alios spargere, quod pro magno fuerit consecutus*. Ergo quia Martyres non indigebant remissione a poenis canonicas, utpote quibus nullae erant impositae, sed remissione a poenis in *foro Dei* etc.

„Dices 1. Remissio 100. vel 1000. annorum est nimia: quis enim tantum reatum contrahat? 2. Olim adjuncta erat indulgentiis clausula: de injunctis poenitentiis; ergo ubi non adjungitur, tantum remittit poenas in *foro Dei*. R. Ad 1. N. Nam numerus peccatorum in peccatoribus inveteratis, diuturnitas olim poenitentiarum canonistarum, v. g. septem annorum pro adulterio, totidem pro blasphemia, decem pro homicidio etc. ac severitas purgatoriis tollit admirationem. Ad 2. Clausula haec est addita, vel ad poenas in *foro sacramentali* etiam remittendas, ut cum *Moya* docebant 21. alii; vel remittendas poenas canonicas in *foro Ecclesiae* tantum, nihil determinando de *foro Dei*; vel remittendas ambas simul, ita tamen ut primario remittantur poenae non taxatae in *foro Dei*, et concomitante taxatae in *foro Ecclesiae*; quia facilius est relaxare poenas non taxatas, quam taxatas ab homine vel canone. Primum tenet *Amort.*, secundum *Lugo*, tertium *Suar.*

„Q. 2. An plenaria possit obtineri non plenarie?

„R. Potest obtineri non plenarie seu solum quoad effectum partiale. Ita *Viva* cum 16. aliis apud *Amort.* in lib. speciali. 1. Non est ratio in contrarium. 2. Si plenaria tantum posset obtineri indivisibiliter, esset minus aestimabilis, quam non plenaria, quia difficillime et rarissime fructuosa. 3. Ex communi consensu debet dari, et datur proportio inter causam et effectum: ergo si causa est tantum partialiter sufficiens, dispositio si tantum inadaequata etc. 4. In *Sacramentis* magis dispositus acquirit plus gratiae, minus dispositus minus. 5. Potest remitti unum ve*niale* quoad eulpam sine alio: ergo et quoad poenam. Plura *Gobat* n. 278.

„Dices 1. Natura indulgentiae plenariae est, quod remittat totum reatum. 2. *Gratia sanctificans* remittit aut omnia mortalia, aut nulla. 3. Qui omittit unum opus prescriptum, e. g. confessionem prescriptam, nihil omnino obtinet.... R. Ad 1. N. Sed quod possit remittere totum. Ad 2. N. C. Quia gratia aequa repugnat uni culpe mortali, ac omnibus. Ad 3. Tr. antec. quod sane dubium. N. C. Quia opera prescripta pertinent ad conditions; conditions autem sunt de genere formarum indivisibilium, ut parte omissa censeatur omitti totum; aliter de dignitate subjecti retractantis peccata.

„Q. 3. An effectus indulgentiae pro defunctis sit infallibilis?

„R. Pro negativa stat *Laym.*, *Henriquez* cum 20. aliis apud *Amort.* 13*

„lib. spec. p. 2. sect. 5., quia nullibi legitur, quod Deus obligaverit se ad acceptandas semper indulgentias has pro casu et subjecto particulari. „2. Pontifices concedentes indulgentiam pro defunctis, quae concessio coepit saeculo XV., supponunt in Deo gratuitam acceptationem solutionis. „Sixtus IV. anno 1477. ait: *Indulgentia defunctis prodesse modo, quo piae elemosyna et orationes iis proficiunt.* Gregorius XIII. affirmit: *Anima bus de thesauro Ecclesiae subministramus, ut illae, quantum divinae bonitati placuerit, adjutae ad coelestem patriam perveniant.* 3. Argumentum calculatorium ex *Viva* prop. 37. *Alex. VII.* Si essent infallibles, „purgatorium jam foret saepe evacuatum; nam juxta Ricciolum pro cursu „50. annorum dantur mille millions hominum in Orbe; tertia ex iis pars „sunt infantes ante rationis usum decedentes; maxima reliquorum pars „damnatur, exigua immediate ad coelum transit, ultima trium circiter „millionum cum dimidio ad purgatorium descendit: ergo cum multitudine „altariorum privilegiatorum, communionum generalium, indulgentiarum in „Religionibus, Confraternitatibus, templis expositarum hos purgatorio eriperet, plures intra triennium liberarentur, quam a mundi exordio ibi extitissent. *Affirmativam* tamen pro infallibilitate defendant *Sotus, Navarrus, Suarez, Lugo, Gobat* p. 2. n. 484. etc. Quae autem conditions „ad hoc requirantur, non convenient.

„Q. 4. An probabilitas locum habeat in indulgentiis?

„R. Cum tria in indulgentiis reperiuntur: 1. concessio, 2. opera praescripta, 3. fructus et favores illarum, e. g. quod plenaria etiam proposit illi, „qui retinet affectum erga aliquod peccatum veniale, quamvis tantum limite: quod indulgentia sit habenda pro plenaria, in qua dicitur indefinite „concedimus indulgentiam peccatorum: quod etiam post jubilaeum possint „commutari vota, absolviri reservata etc. quorum in jubilaeo per oblivionem aut dilationem nondum facta commutatio, absolutio nondum data: „quod impediti possint illud postea lucrari etc. dico: *Probabilitas non pro cedit in concessione, aut conditionibus praevei requisitis, sed solum in fructibus indulgentiae.* Ita contra *Viva* admittentem ubique probabilitatem, et contra *Bonacinam* ubique negantem. *Rat.* 1. sic salvatur illud: „favores sunt ampliandi; et simul: *indulgentiae valent, quantum sonant,* „hoc est, quantum verba concessionis clare indicant; de dubiis effectibus „dixit Urbanus VIII., suam et Sedis Apostolicae mentem hanc esse, ut indulgentiae valeant eo modo, quo prudentes Theologi existimant valere: ut „habet Gobat. 2. Concessio cum requisitis conditionibus dependet unice „a voluntate concedentis, confertque indulgentia remissionem poenae quodammodo ex opere operato: ergo sicut valor sacramentorum non admittit „probabilitatem etc."

647. *Principium II.* Ut quis sibi lucretur indulgentias, requiritur 1. Ut sit baptizatus, et post baptismum actualiter peccaverit; quia soli baptizati sunt membra Ecclesiae: ait tamen *Laym.* l. c. c. 6. cum *Henriq.* probabile esse, quod indulgentiae applicari possint catechumenis tum vivis tum defunctis saltem per modum suffragii, cum saltem per fidem et charitatem Christo sint uniti: ergo saltem aliquo modo sunt membra Ecclesiae. 2. Ut sit subditus concedentis, nec excommunicatus. 3. Ut sit in statu gratiae saltem tunc, quando ultimum opus praescriptum impletur; quia non dimittitur poena nisi post dimissam culpam. 4. Ut opus a concedente indulgentias injunctum eo tempore, quo praescribitur, impleat; sub hac enim conditione conceduntur indulgentiae. Plura vide apud *P. Gobat* l. c. c. 12. Addit *Amort* l. c. q. 31., quod etiam requiratur intentio lucrandi indulgentiam saltem virtualis, qualis esset, si homo eo die perget ad Ec-

clesiam animo confitendi, quia scit ibi haberit indulgentiam. Praeterea exigit, ut fiat explica oblatio orationis vel alterius boni operis ad fines in Bulla expressos, v. g. pro exaltatione S. M. Ecclesiae, concordia Principum Catholicorum etc. *Laym.* l. c. c. 6. n. 5. asserit, non requiri actualem, sed sufficere habitualem intentionem. Alii cum *Viva* dicunt contra *Navar.* et *Cajet.*, intentionem lucrandi indulgentiam gratis requiri, cum id Pontifices non requirant; prior sententia pro praxi est tutior, hinc multi solent quotidie mane facere intentionem expressam lucrandi per opera istius diei, quidquid possunt lucrari. Dux supra, *ut quis sibi lucretur indulgentias:* nam ad eas defunctis lucrandas per exhibitionem operis praescripti necesse non est, ut operans sit in gratia, dum indulgentia effectum consequitur, eo quod gratia requiratur ex parte recipientis indulgentiam; ita *Laym.* l. c. C. 7. ubi subnecit, certum esse, quod indulgentiae, quas Papa concessit fidelibus vivis, non possint applicari defunctis, nisi hoc ipsum etiam Papa concederit; standum enim auctoritate et voluntate concedentis. Eodem modo frustra alteri vivo applicatur vel donatur indulgentia, si Pontifex non dederit potestatem ita applicandi; imo teste *Gobat* in *Quin.* c. 21. n. 249. rare haec potestas conceditur.

648. *Princip. III.* Indulgentiae cessant 1. Elapso tempore in Bulla concessionis expresso. 2. Si locus vel res destruatur, cui sunt annexae. 3. Cessante totaliter fine concessionis 4. Per revocationem.

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I.

Menochius lucrandarum indulgentiarum per quam studiosus sollicite querit, an non dentur indulgentiae quedam communiores omnibus fidelibus concessae. Idem, dum eodem subinde festo in pluribus Ecclesiis diversae indulgentiae promulgantur, in iis ad lucrandas indulgentias sollicite comparet, animo illas omnes consequendi eodem die.

649. Q. I. Quaenam indulgentiae communiores adhuc valeant? R. Inter eas hodie sunt *primo* illae, quae orantibus ad pulsum campanae feria sexta a *Bened.* XIV. 23. Decemb. 1740. concessae sunt sequenti tenore: *Ad Passionis, et Agoniae Redemptoris et D. N. J. C., unde nobis vita, salus et resurrectio manavit, memoriam in omnium Christi fidelium animis excitandam, atque fovendam coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem Nobis creditit Altissimus, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui singulis feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum campanae Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium et Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut campanam uniuscujusque Ecclesiae hujusmodi pulsari faciant, injungimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus) flexis genibus quinques orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam devote recitaverint, et oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, nec non salutari perditorum hominum emendatione piis ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituras.* Vide T. 1. Bullarii ejusd. Pontificis pag. 27.

650. Secundo. *Benedictus XIII.* 14. Septemb. 1724. concessit sequentes: *Omnibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, sive vespere ad pulsum campanae: Angelus Domini, nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Do-*